Die 4. Aprilis 1668

Ordinationes

Pro Provincia Angelopolitana

R. R. Adm. P. P. et Frat. Provinciæ nræ sanctorum Angelorum in Indijs Occidentalibus Ordinis Prædicatorum Fr. Joannes Bapta de Marinis Sac. Theologiæ Professor Ord. Præd. humilis Magister generalis et Servus Salutem

Exaltum et integrum Regularis observantiæ tenorem ceu proprium et unicum supremum nostri regiminis scopum ut numquam ab oculis seponimus ita gratanter accipimus et amplexamur, tum Provincialium industriam ac zelum quo nobis in hoc studio collaborant, tum subditorum alacritatem quâ laborem nostrum devotè sublevant.

Cum ergo Conventus noster S.ti Pauli Angelopolitanus de mandato nostro sit designatus in nrâ Provincia pro strictissima observantia iuxta ordinationes Capitulorum generalium hinc est ut quod specialius intendimus ad optatum perveniat finem et in dies uberiores accrescant fructus ex fertili area pro illius religioso cultu sequentia duximus statuenda

1 Officium divinum interdiu noctuque dicatur in tono cum gravitate devotione pausisque debitis, Missa autem conventualis in festis tum communibus Ecclesiæ tum proprijs Religionis cum cantu peragatur. Matutin. media nocte dicantur et cæteræ horæ canonicæ temporibus statutis recitentur sub pœna Priori absolutionis ab officio

2 Post matutin. per quadrantem horæ prælegatur communitati materia meditandi ex operibus Ven. nostri Ludovici Granatensis aut alterius pij scriptoris: deinde super ea per spatium dimidiæ horæ fiat Oratio mentalis, et meminerint fratres indulgentiæ qua saluberrimum istud exercitium Paulus V. anno 1606 die 23. Maij decoravit his verbis: Religiosis qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ Orationem mentalem fecerint ac confessi et sacra communione ultima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint sexaginta annos et totidem quadragenas

3 Observetur indispensabiliter statutum Capit. gen. Romæ anno 1650 celebrati quod confirmat ea quæ de cap. culparum decernit: Recolentes utique animi sensu ponderantes Convexdem tot generalium capit. solicitudinem qua toti Religioni quotidiana (ut vocamus) capitula culparum tam anxie commendarunt et Bisuntinum 1353 Savilianen 1439. Montispessul. 1456 Noviomagense 1459 &c.a eaque saltem ultra quindenam non differenda constituerunt ut Avenionen 1576 Romanum 1501 et 1601 Venet 1592 Valent 1596 Vallisol 1605 ac Mediolan. 1505 cuius hæc leguntur verba prægnantissima: cum nostra Religio meritis et numero floruerit quamdiu Capit. quotidiana habebantur ideo mandamus &. ut saltem de quindena in quindenam capitulum de culpis teneant quatenus de frequentibus admonitionibus pravi mores extirpentur et fratres in melius reformentur. In horum conformitate statuimus et innovando confirmamus, ut ubi studia litterarum alia ve evidentia impedimenta exhibuerint ut par esset huiusmodi capitul. celebritatem non facile permittunt ad minus ea singulis quindenis

indiſpensabiliter Celebrentur pœnam verò suspensionis ab officio
ibidem contra Superiores hac in re negligentes taxatam augemus in
pœnam absolutionis ab officio irremissibiliter a Provincialibus (quorum
desuper conscientias aggrauamus) infligendam. Neque tat fuerit obiter
ad mensam sub fratrum refectione defectus aliquos corrigere (quem abusum
magnopere detestamur, ac serio inhibemus;) sed peculiari signo in hunc
finem conuocanda est communitas ad locum idoneum ubi commodè per
Choros dici queant solitæ Orationes capitulares, fieri veniæ ac prostrationes
ac singulorum culpæ audiri per Ordinem cum impositione penitentiæ salu
taris, cum igitur inobseruantia nostri Conuentus S. Pauli nullum ab
exercitijs litterarijs adsit impedimentum, utique in eo capit. culparum
regulariter debeat esset quotidianum, aut saltem ita frequens, ut numquam
ultra triduum differri possit, et ad hanc salutarem frequentiam animare
omnes debet eiusdem Pauli V. apostolica inuitatio huius tenoris: Qui verè
contrito corde et penitentes eorum culpas, ac peccata et imperfectiones in
cap. culparum accusabunt, et spiritualiter Communicabunt, et exercitium
virtutum facient tres annos et totidem quadragenas.

4 Post Completorium præuio campanæ signo tertia pars Rosarij Choris alternan
tibus deuotè recitetur et ante singulas decades breuiter ab uno proponat.
misterium quod in illa decade fuerit meditandum.

5 Confraternitates tum sanctissimi Rosarij gloriosæ Virginis tum salutiferi
nominis Iesu in specialibus suis aut altaribus fundatæ censeantur
et quoad opus est expressè harum serie easdem illic ex nunc fundamus
ac fundatas declaramus ad effectum ut fratres (qui illi deuotè sua
nomina dabunt) mensiles harum Confraternitatum processiones aliasq
proprias functiones accuratè peragant tantoque indulgentiarum thesauro
neutiquam defraudentur, a quo nec seculares qui fortè accurrerint exclusi
censeantur; ita tamen ut sub eo titulo nonpermittantur formare
propriam congregationem seu cap. sub speciali præfecto et officialibus
(cum id conditioni istius loci et solitariæ fratrum quieti ibidem minus
conueniat) nihilominus quando promiscuè seculares aliquo numero
siue ad processiones ac festa siue peregrinando illuc confluxerint præd
cetur ipsis Verbum Dei cum feruore ac spiritu.

6 Singulis hebdomadibus feria quinta renouet. sanctissimum sacramentum
et mundetur pyxis conuocata ad hoc tota religiosa comunitate, quæ in
naui Ecclesiæ faces accensas manutenens cantabit tantum ergo sacra
mentum assistendo huic funtioni donec sub finem sacerdos cum sanctissi
sacramento omnibus illic præsentib. dederit benedictionem, ut fuit ordinatum
Bonon. 1615. altaria semper omni niteat munditia, ac decentissima Com
positione quæ deuotionem accendat ornetur floribus pro conditione tempo
rum nihilque in his appareat quod non redoleat accuratam puritatem
ac religionem; idem nitor splendeat in tota Ecclesia in vasis atque sanctis
sedilibus confessionarijs imaginibus ornis ac pauimento, quia non Colos
tantum sed et Ecclesiam dedecet omne inquinatum.

7 Silentium obseruetur continuum poterit tamen Prior in diebus solemnibus dis
pensare post Vesperas ut communitas ad colloquium conueniat cui ipse
aut Superior assistat procurando quod non nisi de rebus spiritualibus ser
mo instituatur. cum sæcularib. nemini permissum sit conuersari; nec
eis ingressus intra conuentum Concedatur, nisi viris spectabilioris notæ

AVSA

et hi etiam raro, nec nisi pro aliquo negotio spirituali: qui vero curiositatis
duntaxat gratia conventum perambulare vellent neutiquam admittantur.
quando de licentia Prioris quicumque extraneus aliquem ex fratribus seorsim
alloqui voluerit id fiat sive in locutorijs apud portam Cœnobij sive in uno
ex campestribus sacellis ei vicinis. si qua honesta causa fœmina aliqua
petierit conferre cum aliquo ex religiosis de re ad confessionem non pertinente
religiosus de licentia Prioris cum cappa et socio ad eam foras prodeat brevi-
que alloquio se expediat, at quantum fieri potuerit rara sint huiusmodi
colloquia rara et succincta

8. nulli facinoroso aut publicum declinanti permittatur ultra biduum latere
aut pernoctare in conventu nec unquam in eo dormiant seculares præter
eos solos qui exercitijs spiritualibus octo vel decem dierum spatio ibi conti-
nuandis accesserint: pro quibus iuxta personarum qualitatem extent
seorsim aliquæ cellæ peculiares; nec ijs pateat libertas ulla vagandi
otiose per conventum; ijsdem deputetur Pater spiritualis qui ipsos in
exercitijs suis dirigat confessiones ipsorum excipiat, ac semitam per-
fectionis edoceat.

9 si quis ex fratribus contigerit infirmari Prior satager ut cum omni sollicitu-
dine et charitate deportetur ad conventum Sanctum S. P. N. Dominici
& ibidem fovendus erit et curandus.

10 una aut pluribus diebus per septimanam bini religiosi ex conventu
S. Pauli circuibunt ostiatim petentes eleemosynam, qua in re
ipsemet Prior exemplo suo religiosis præibit. pecuniæ quæ hac via
colligentur inscribantur libro, et si ab uno plusquam duo ducati in num-
mis accepti fuerint, apponantur dies mensis annus et nomen illius
qui tantam stipem dedit, inde in cap. quotidiano Prior hos benefacto-
res cum religiosis specialiter commendabit sacrificijs et orationibus
fratrum, qui vero ad huiusmodi quæstum eleemosynarum emittuntur
in secularium domibus nullam refectionem sument; sed tantum
in conventu S. P. N. Dominici, aut in aliquo religiosorum Cœnobio
comedere poterunt

11 nullus etiam in sacra theologia Mag. (dempto uno ac solo Priore) exem-
ptus sit a functione hebdomadarij, et continua tam nocturni quam
diurni chori sequela, ipsi vero Priori mandamus in virtute spiritus
sancti, sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, ne ullum huiusmodi exem-
ptionis usum, vel abusum irrepere sinat, quin potius ipse suæ assiduita-
tis vigil exemplo cæteros animet ad divinum cultum, nocte dieque irre-
missibiliter frequentandum. sub eodem formali præcepto vetamus teneri
in conventu famulos seculares, sed horum defectum suppleant mutua
fratrum obsequia, et sinceræ charitati humillima promptitudo
ad exemplum illius qui non ministrari sed ministrare venit

12 semel per singulas hebdomadas scopis mundetur ecclesia et conventus, nec ab hoc
ministerio Prior, neque Provinciales si adfuerint sint immunes
singulis quoque mensibus Prior bis emittet binos religiosos in civitatem
ad visitanda xenodochia, et publicos carceres ut languentium et captivorum
confessiones excipiant afflictis consolationem impendant, et providente Priore

etiam corporalem refectionem ijsdem afferant, quæ tamen eius sit generis
ut religiosam non dedeceat paupertatem, sicque velut pauperum ac mendico-
rum veri Patres ipso opere monstrabunt se nihil degenerare a spiritu
ac misericordi indoli SS.mi Patriarchæ nostri Dominici

13. Si circa tempus ordinariæ refectionis ad portam conventus mendici aliqui fuerint
meminerint tum communitas tum quilibet fr. partiri cum paupere Christi
alimenti sui portionem. item a mensa post gratias in Ecclesiam de mo-
re persolutas iuxta consuetudinem in nra religione receptam prodibunt
fratres ad serviendum ipsis pauperibus memores talia obsequia Christi
membris impendi

14. Hortamur, ac serio commendamus, quod in adventu et quadragesimæ singulis
hebdomadis, extra vero hæc tempora singulis quindenis ad minus semel
communitas hora opportuna conveniat in Ecclesia ad infligendam sibi
disciplinam, quæ durabit per totum psalmum, Miserere et orationem Deus
qui proprium est &. et offeretur Deo pro felici statu S.tæ matris Ecclesiæ
concordia principum Christianorum, extirpatione hæresum, salute et
conservatione Coronæ Stirpis, Regnorum ac Ministrorum Regis Catholici
pro delictis totius mundi, sublevamine animarum purgatorij necessitatibus
proximorum proque Religionis nræ munimine, ac regularis in ea observan-
tiæ incremento

15. Forma vestimentorum ac rasuræ in nullo totius nræ Provinciæ discrepet ab
his quæ in cap. gen. Rom. 1650 confirmatione 17. et ordinatione 5 pagi-
exibitur his verbis: Confirmamus et innovamus quæcumque in varijs
capitulis generalibus, de rasura et vestibus uniformiter ac modeste sunt
constituta: Mandantes Provincialibus, et Prioribus conventuum
sub pæna absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ut quos invenerint
comam vel barbam in labijs mentone contra Constit. cap. de rasura
vane ac modo seculari nutrientes, veste in materia forma colore laxita-
te &c. contra perscriptum earumdem constit. & cap. gen. portantes, in-
dusijs lineis ad carnem utentes, vel si cum aliquibus titulo infirmitatis
quoad hoc dispensatum fuit eadem manifeste et cum scandalo portantes
cappam, scapulare, tunicam ad terram usque defluam, aut a cingulo decurta-
tam, ac divisam deferentes, habitum ordinis palam vel ipso deferen-
dum sub sago, pallione sæculari occultantes, interulas veste alio quam
albo colore, aliave materia quam quæ Christi pauperes deceat. calceamenta
caligas pileos, qui religiosam humilitatem, et paupertatem minus sa-
piant, nostrisque constitutionibus, atque capitulis generalibus. præsertim
Mediol. 1505. Senen 1452. et Rom. 1629. adversentur. Cuiuscumque
dignitatis gradus aut conditionis hi fuerint declarent privatos utraque
voce officijs gradibus ac vanis illis vestimentis privamus, privatosque
ad triennium declaramus, pertinaces vero damnamus ad pænas gra-
vioris culpæ et carceris: conversos denique in his delinquentes pri-
vamus ad idem tempus scapulari et caputio

Quamquam ordini nostro decora uniformitas in omnibus observantijs
canonicæ religionis maximopere commendet ea tamen habemus

in extremo habitu, praecipuè verò in tanta capuciorum pro cuiusque
genij diuersitate minus elucescit. Proinde Universis ac singulis Fra-
tribus nostris praecipimus in virtute Spiritus S.ti sanctae obedientiae sub
formali praecepto, ne alia tam nigri quam albi capucij forma utantur
quam ea quae in hoc Cap. praescripta fuit, et approbata; necnon Ss.mi
D. N. Innocenij X. apostolica benedictione insignita. Cuius tametsi
plura exemplaria diuersis Prouincijs transmissa sunt eamdem tamen
ut certius singulis innotescat ac firmius teneat hic etiam placuit de-
lineare nimirum apertura capucij circa faciem uno amplius palmo non
sit facie longior, pars anterior ad pectus demissa infra sternum aut
cartilaginem, quam Medici vocant ensiformem; posterior a tergo infra
cingulum ultra quatuor digitos non descendat, latera verò ab humeris
infra medium os, quod axillae et cubito interstat non extendantur. Porrò
ad hanc cuiuslibet Fratris staturae proportionatam formam deinceps omnia
capucia, quae noviter fiunt conficiantur, facta verò ad eamdem intra
spatium sex mensium ab huius Ordinationis et praecepti notitia
corrigantur

16 Religiosi huius Conuentus ad ciuitatem non descendant siue pro cantandis mis-
sis, aut responsorijs siue pro quocumque solemni conductu funerum
nisi funus sit alicuius ex nostris religiosis fratribus aut Episcopi vel
Ministri Regij; quo casu non aliter quam permixti religiosae commu-
nitati Conuentus S. P. N. Dominici intersint functionibus dictae se-
pulturae. Prior nec ista nec ulla alia occasione unquam in Ciuitate
aut suburbio pernoctet sub poena absolutionis ab officio

17 Communitas rerum, ac paupertatis uotum cum omni particularitatis
exclusione in hoc conuentu rigidissimè obseruetur; ita quod nulli
priuatum liceat habere peculium seu depositum, nisi id alicui inter
dum ex causa valdè rationabili Prior ad breuissimum tempus in-
dulserit. Similiter quoties aliquis, siue pro fabrica siue pro sus-
tentatione fratrum commune depositum illatum fecerit suis usibus
prima opportunitate impendatur.

18. Quoad saluberrimum exercitium annuae recollectionis decem dierum
haec tria praecipuè universorum memoriae inculcamus. Primum
esto indulgentia plenaria a Paulo V. superius allegata his verbis.
ij verò qui de suorum superiorum licentia a negotijs per decem dies alieni in
Cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati in piorum librorum
aut aliarum rerum spiritualium animas ad deuotionem et spiritum redu-
centium lectionibus operam suam dederint addendo saepe considerationes et
meditationes mysteriorum fidei Catholicae diuinorum beneficiorum quatuor
nouissimorum, passionis Domini nostri Iesuchristi et aliorum exercitiorum
orationum iaculatoriarum aut vocalium saltem per duas horas in diem
et noctem orationibus mentalibus se se exercendo faciendo eodem
tempore confessionem generalem aut annualem et ordinariam SS.mae Eu-
charistiae sacramentum sumpserint aut Missam celebrauerint totius pro
quolibet praedictorum exercitiorum plenariam similiter omnium suorum
peccatorum indulgentiam et remmissionem misericorditer in Domino
concedimus

Alterum sit epistola Encyclica Praedecessoris nostri Magistri Generalis Fr.

Nicolai Rodulphi bonæ memoriæ anno 1630 ad omnes Ordinis Provinciæ destinatæque de eodem puncto hæc habent: Recollectionem vero decem dierum iuxta formam præscriptam in Bull. Pauli V. nostri Const. recentioris editionis adiunctam cap. de indulg. saltem semel in anno de licentia Superiorum ab unoquoque opportuno tempore capessendam ut potè ad renovationem et fomentum spiritus apprimè necessariam summopere commendamus.

textum ex ordinatione secunda cap. gen. Valent. 1647. ubi dicitur Hortantes omnes in Domino ut sanctam illam consuetudinem in aliquibus Provincijs maximo cum fructu excultam satagant introducere ut scilicet fratres aliquibus diebus se recolligant et meditationibus pijs se ad perfectionem vitæ quantum disponant. quibus præmissis omnes ac singulos Provinciæ meæ Angelopolitanæ religiosos, ac præcipuè quidem Provinciales Priores Ministros deinde reliquos eiusdem P. P. ac fratres cuiuscumque sint dignitatis gradus aut conditionis quanto possumus ardore, aut conatu coram altissimo commonefacimus sanctæ vocationis et obligationis suæ, ne ullo unquam anno intermittant aut negligant illi devotissimo annuæ recollectionis vacare, sive in isto conventu Sancti Pauli sive in alio regularis observantiæ Cœnobio, quem in finem desuper præcipimus Priori Divi Pauli quatenus alacri charitate indiscriminatim ad dicta exercitia recipiat quotquot cum licentia P. Provincialis (si sint de Provincia) vel cum licentia Prioris S. P. N. Dominici (si sint de ipsius conventu) accesserint huic recollectioni operam daturi.

19. Si contingat aliquem fratrem amore observantiæ ad Conventum D. Pauli accedere ad capessendam vel in bono proposito tepescere vel ob infirmitates corporis, aut spiritus nolle, aut non posse ibidem perseverare nequaquam illic invitus remanere cogatur; sed Prior conventus providè monebit Provincialem ut ipsum ad alium conventum quemcumque transferat; nec Provincialis in hoc sese difficilem, aut morosum exhibebit, sed potius quoad illud observetur Ordinatio 16. Capit. gen. Vallisolet anno 1605. celebrati cuius hic tenor est.

Ordinamus et strictissime iniungimus et mandamus omnibus RR. Adm. Provincialibus ut unusquisque in sua Provincia unum vel plures conventus iuxta qualitatem et numerum fratrum deputent in quibus regula et constitutiones Ordinis nri. cum omni rigore ab omnibus illic degentibus ad unguem observentur, nec cum aliquo ibi commorante in carnibus vel alijs regulari vitæ repugnantibus quoquomodo aut quovis prætextu, aut colore nisi propter actualem infirmitatem duntaxat dispensare possit. in quibus conventibus et locis nemo invitus cogatur manere, nec aliquis nolens a suo retrahatur fervore nisi quem iam arrepti propositi et strictæ observantiæ pœnituerit.

20 Denique vehementer ac enixè omnibus Provinciæ nræ Angelopolitanæ tum Prælatis tum subditis in S. Obedientiæ meritum commendamus

mus quatenus singuli pro Vata et Conditione sua ad instaurationem et tutelam ac profectum huius Sancti Loci fauore Voto desiderio, ac Zelo nitantur concurrere quandocumque et Vbicumque potuerint; nemo sit qui erga illud celebre pietatis Sanctuarium peculiari deuotionis spiritu non calescat, nemoque Obstaui eiusdem incrementis corde saltem animoque Venerabundo non applaudat.

Praecipimus tandem authoritate qua supra adm. RR. PP. Prouincialibus et caeteris vestris curae subiectis ne circa has Ordinationes vestras aliquid mutent, statuant Vel dispensent, et si qui nostrae dispositioni Itahere contrarium tentauerint, totum tanquam irritum et inane decernimus et declaramus. Praecipimus insuper RR. Prioribus existentibus et existituris Vt has nostras Ordinationes singulis annis in publico Refectorio tempore prime mense quater ad minus legi curent idque primis hebdomadibus aduentus & quadragesime, ac primisque sextis ferijs post festum S. Crucis & hebdomade Pasche in nomine Patris et Filij et Spiritus S. Amen, quibuscumque in contrarium non obstantibus. In fidem his sigillo nostro muniti manu propria subscripsimus Rome in nostro Conuentu Supra Mineruam Die 7. Aprili 1668. - 1668.

Fr. Joannes Bapta de Marinis Sacrae Theologiae Professor Ordinis Praedicatorum humilis Magr generalis et seruus.

Vniuersis in Dei filijs sibi dilectis eiusdem Ordinis Prouinciae SS. Angelorum in Indijs Occidentalibus ac singulis in ea sub Vexillo Archangeli Michaelis religiose militantibus salutem ab eo qui fecit Vtraque Vnum.

Non minora debet longinquis quam propinquis Ouiculis boni Pastoris Occulata solicitudo quo fit quod ipsa quarumdam ouium prae alijs distantia nequaquam excuset vel minuat sed fortius prouocet, meritoque duplicet insomnes opilionis curas ac Vigilem attentionem, ita Vobiscum accidere nobis Videtur idque eo Vehementius, quo ob interfusa terrarum maximumque spatia parcius de rerum Vestrarum statu nuncia ad nos perferuntur, adeo quod ab erectione Prouinciae Vestrae Vix tandem e Vestro gremio hunc vnicum Videri contigerit R. P. Mr. Fr. Nicolaum de Pantoja Virum probati zeli et experientiae qui prolixo itinere demum huc delapsus Prouinciae necessitatem, atque modernam faciem nobis fidissima relatione coram exponeret, Et quamquam Vestrum Diffinitorium in aliquibus ex suis capitularibus actis prouide satagerit satagatque charam hanc filiam suam opportunis subsidijs adiuuari; attamen quia disciplinam Patris Vt filij lucis sitis et quaeritis et desideratis: si Remis, Velisque ad Vos peruenire non possumus literis et Ordinationibus pertingere laboramus, superest quod vos affectu, spiritu deuotione qua par est pauculas sequentes sed pernecessarias Ordinationes resolutiones et declarationes complectamini animaduertentes quod si Volueritis mandata seruare conseruabunt Vos.

Exponente R. P. Fr. Nicolao de Pantoja Magistro Prouinciae nostrae sanctorum Angelorum in Indijs Procuratore &c. Cognouimus in eadem complura